

rurus in lacrymas solitus, has ex imo pectori voces protulit: *Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratui committas meo, quod in tua solius est potestate? Mea permagni refert tuam segui in omnibus voluntatem. Quis enim rectius novit, quid e re mea sit, quam tu, mi Deus? Tua itaque voluntas fiat, nec de uxore sciam, sed de liberis etiam deque me statuas, rogo quidquid tibi placuerit: fiat voluntas tua.* Observatum est autem eo tempore conjugis morbum statum quemdam tunc tenuisse, ut dubitarent medici, deteriusne an meliuscule haberet; post has vero preces ad desperationem laborare cœpisse, Franc. Scotus, in vita Borg. I. I. c. XII.

Videmus igitur rectius et utilius non posse nos orare, quam cum hodierno leproso: *Domine, si vis, potes me mundare, juvare, sanare, etc. committendo videlicet divinæ voluntati nostras petitiones. Sie legitur quidam patrum in oratione tantum dixisse: Fili Dei, sicut vis et sicut scis, miserere mei, apud Rabanum et Serarium, in c. VIII. Judith. Ita fiet ut voluntati nostræ se accommodet Deus, quemadmodum fecit leproso, mox assentiendo: Volo, mundare, etc.*

CONCIO III.

CONFESSORIS NECESSITAS OSTENDITUR.

- I. Exigitur in lege naturæ. — II. In lege scripta veteri. — III. In lege nova. — IV. Ab ipsa ratione et natura. — V. A testimonio sanctorum.

THEMA.

Vade ostende te sacerdoti. Matth. VIII.

Gravissimum et difficillimum, quod obtinet Christianis, videtur esse peccatorum confessio, quam proinde hæretici nostri temporis exterminare maluerunt, et persuadere hominibus, non esse Dei præceptum, sed commentum et inventum humanum. Verum deberent inter alia hi expendere quod ea potissimum de causa mittere consueverit Dominus leprosos ad sacerdotes: quia nimur lepra typus peccati est, et sacerdotes veteres, quibus judicium lepræ commissum, typus confessiorum. Sed quoniam hoc parum movet adversarios, fortioribus tormentis eos aggrediemur.

I. Confessio exigitur in lege naturæ. Intra paradisum, quando ait Deus Adamo, Gen. II. *Adam ubi es?* « Interrogat, ait Eucherius, ut suis quisque convincatur responcionibus. » Glossa ibid. ait verba illa Dei fuisse non ignorantis, sed ad confessionem cogentis. Rursum quando ait Eva:

*Quare hoc fecisti? quid enim his voluit Deus, nisi ut homo in principio accusator sui sit? Extra paradisum, Gen. IV. *Ubi est Abel frater tuus?* Ubi Ambrosius ait: « Interrogat Dominus Cain de fratre, ut moveret eum ad confessionem. » Et priusquam ille cœdem patraret: « Cur iratus es et concidit facies tua? » Et tertio: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, q. d. ego tibi peccatum tuum confitebor, quia tu non vis.* Quinetiam apud gentiles vestigium aliquod confessionis reperitur. Apud Lacedæmones, teste Plut. in Lacon. n. CCCCXXII. deprehensi in delicto cogebantur aram circumire, et compôsamt in seipso vituperationem cantare. Apud Indos occidentales in provincia Nicaragua reperti sacerdotes gentiles, confessionibus audiendis et penitentias imponendis destinati, quibus etiam revelare peccata, et uxores ducere nefas erat. Testatur Josephus Acosta, de procur. Ind. salute, cap. XII. Habent et Mahometani confessionis modum nonnullum. Quibus adde, quod Seneca, libro de moribus ait: *Ubi est confessio, ibi est remissio.* Pythagoras aiebat peccata non esse verbis tegenda ut reprehensionibus eurentur. Aristoteles dicebat, non multum ab impeccabili distare, qui peccatum ut decet confiteretur, ut scribit Maximus, serm. de confess. Rursum Seneca, ad Luc. ep. LIV. « Somnium ait, narrare vigilantis est, et vitia sua confiteri sanitatis indicium est. » Videbunt ergo gentiles æquum et laudabilem esse fateri sua delicta.*

II. In lege scripta veteri Num. V. ubi dicitur: *Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligientiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, etc.* Item Levit. VI. *Convicta delicti, etc.* et Levit. XXVI. *Donec confiteantur iniquitates suas.* Rursum Levit. VI. *Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, ut male vel quid faceret, etc.* agat penitentiam pro peccato, etc. ubi Hebr. et Chald. habetur: *Confiteatur peccatum in quo peccavit.* Unde Hebrei tradunt ibi specialem requisitam fuisse formulam confitendi: *nimirum ponendum manus inter cornua victimæ exprimendo peccatum suum, dicendoque: Obsecro Domine, peccavi, inique egi, prævaricatus sum, sic et sic feci: ecce penitet me, et pudet me operum meorum: nunquam revertar ad rem istam.* Traduntque nihil profuisse sacrificia, nisi adhibita hac confessione. Refert Genebrardus ex Rabinis, in II. Reg. VII. *Ferunt etiam Hebreos in hodiernum usque, festo expiationis hanc confessionem facere, et loco satisfactionis plagas sibi imponere.* Josephus item Judæus, l. III. antiquit. c. X. ait: « Qui sciens

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

peccavit nemine consciente, arietem offert lege ita jubente, et is qui peccat, jubetur adire sacerdotem et peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries delegatur, et ipse pro peccatore oret. » Certæ item victimæ pro certis offerebantur peccatis, juxta mensuram et estimationem peccati, Levit. VI. V. IV. Habuerunt ergo et Iudei suam quamdam confessionem, etsi minus perfectam.

In eadem lege confessio præfigurata est primo, III. Reg. XVIII. Ubi Elias sacrificaturus Domino et oblaturus holocaustum, composuit altare et dispositi ligna super illud; mox, mactavit et disvisit membratim bovem, et super altare posuit: deinde, aqua perfudit bovem et ligna, factumque ut ignis descendenter de cœlo, et devoraret holocaustum, ad indicandum fuisse gratum Deo. Altare extruit et ligna componit, qui ad confessionem se exacte preparat, et peccata quæ infernali incendio materiam alioqui præbent, in unum cogit: bovem mactat et concidit, qui peccata sua minutatim in confessione exponit; aquam effundit, qui confessioni contritionem jungit. Ita fit ut holocaustum hoc, id est, peccata devorentur ab igne gratiae celestis, quæ in peccatorem descendit, eumque flamma charitas accedit.

Secundo, in lepre discussione, Levit. XIII. et XV. Cujus judicium penes sacerdotes veteres erat. Unde Thodoretus, qu. XV. in Levit. « Quemadmodum, ait, sacerdos lepram discernit, ita peccatorum anime judicem ipsum esse oportet. » Debebat ex lege Levit. XIII. leprosus contaminatum ac sordidum se clamare, et quid aliud facit peccator, cum de peccatis se accusat?

Tertio, in tabernaculi introitu erat lavacrum de speculis mulierum, Exod. XXXVIII. ut intrœentes prius se in iis contemplarentur et maculas eluerent. Vir considerat se in speculo et abit, non eluit maculam sicut mulier: sic ante communionem confessio adhibenda. Præterea alias plures hujus rei figuræ.

III. In lege scripta nova, in qua dispositio primo, ad confessionem facta est a Joanne Baptista, ad quem veniebant Iudei confitentes peccata sua; non utique in genere tantum, dicendo se peccasse, sed in specie singula, saltem graviora: hoc enim est confiteri peccata sua.

Deinde, a Christo Domino aperte instituta est et præcepta, quando apostolos judices et medios peccatorum ordinavit, dans eis potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi, Joan. XX. *A cipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: et quorum retinueritis, relenta sunt.* Nemo autem remittere aut retinere

peccata potest, nisi ea prius cognoscat. Quod si nemo teneretur confessarii Christi ministris peccata sua exponere, frustra imo stulte dedisset Dominus illis hanc potestatem. Si enim quispiam rex daret alicui potestatem in regno suo judicandi subditos, condemnandi, absolvendi; subdit autem non tenerentur coram illo comparare et respondere de causis suis, nonne vana et ridicula foret hæc potestas? Ergo frustra et ridicule dedisset Christus eam potestatem apostolis, si nemo teneretur illis confiteri. Atqui Deus et natura nihil frustra agunt vel Aristotele teste, l. III. de anima. Unde Conc. Trid. sess. XIV. c. III. anathema dicit illis, qui aliter hæc verba intelligunt et torquent. Quare (ut recte argumentatur S. Aug. I. L. hom. XLIX.) « Ne quis sibi blandiatur et dicat: Occulte apud Deum (penitentiam) ago: novit Deus qui mihi remittit, quæ in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveris in terra, erunt soluta et in celo? Ergo sine causa datae sunt claves Ecclesiæ? » Sic ille. Quod si Christus tantummodo dixisset: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* forsitan posset, satis esse, confiteri in genere se peccasse. Sed addidit: *Quorum retinueritis, relenta sunt.* Ergo sciendum est, quid retineri debeat, v. g. dicit aliquis se adulterum fuisse, remittetur ei. Sed si dicat, se adhuc esse et fore, retinebitur. Ad hæc dici nequit, confessionem ab Ecclesia aut pontificibus primum institutam. Quomodo enim tam onerosam rem propriæ auctoritate instituere potuerint? Quomodo regibus et imperatoribus rem tam difficultem persuadere? Deinde quis, quando ubi eam instituit, si Christus non instituit? Certe ejus usus in Ecclesia semper fuit, ejusque meminere Acta apostolorum, epistola Jacobi et Joannis, Clemens, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, etc.

Adumbravit eamdem Christus in evangelio, cum in suscitatione Lazari dixit discipulis: *Solvite eum: et in solutione asinæ: Solvite et adducite mihi.* Et cum leprosos misit ad sacerdotes, in quibus figurate insinuantur principalem causam absolutionis esse Christum juxta id Lucæ V. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Instrumentalem vero esse apostolos et sacerdotes. Hinc patet, siue natura ab imperfectiori prodreditur ad perfectius, ita progrederi et Dei leges. In lege naturæ sufficiebat Deo quomodo cumque confiteri peccatum suum; in lege veteri scripta plus requirebatur, major specificatio, quia juxta varietatem peccatorum variae offerendæ erant hostiæ, vitulus pro peccato ignorantiae, par turtarum pro offensione proximi, agnello pro jumento faciendo aliquod malum: unde statim

ex hostia cognoscebat sacerdos, quam enormiter quis peccasset, ut patet ex Levit. IV. et V. Tandem ergo et merito in lege gratiae specialissima peccatorum expressio requisita est. Ita in lege nature quævis sacrificia Deus acceptabat, in lege scripta certa sibi deligebat, in lege nova præstantissimum instituit Filiu sui. Certe aliqui peragendæ confessionis causa mori non permisissent, vel ad vitam revocati. In vita S. Francisci, cap. XV. scribit S. Bonaventura mulierem S. Francisci precibus ad vitam reductam ut peccatum aliud, quod confessa non erat, confiteretur. Aliud memorabile exemplum refert Bonfin. dec. III. l. III. « Anno enim Domini circiter millesimo quadragesimo decimo quinto, secundo tertio post Bossenorum Hungarorumque stragem, quum plerique in eum campum descendissent, ubi patratam stragem fuisse memorant, editissimumque cadaverum acervum spectarent, emissam inter ossa subinde vocem exaudire, sanctissima Jesu Christi Salvatoris et Dives Mariæ Virginis nomina resonantem. Admiratio simul et pavor incessit. Quum ad verba substitissent, eadem paulo post, quasi difficulter, expressa exceperent. Dum vocis locum inter ossa disquirerent portanti desiderio succensi, loquax inter cadavera caput inveniunt; quod ubi homines sibi adesse novit: Quid tam (inquit) stupidi hic statis viri? Christianus ego sum et magnæ Matri D. Mariæ semper addictus, in expiatus inconfessusque in hoc bello occubui: magna Dea, in cuius tutela vitam degi, me æterni supplici reum esse non patitur; hæc me adhuc linguae compotem servavit, ut et delicta fateri, et animam sacris rite apostolicis lustrare queam; proinde sacerdotem, qui confessionem exaudiat, et me expiatum reddat, accersite quæso. Rogatus, qui tantum a Deo beneficii promeruissest, respondit, peculiare sibi id in vita fuisse numen; septena quotannis in vita sua festa reverendissime celebrasse, religiosissimisque jejunis ex pane dumtaxat et aqua decorasse, sacris fuisse quam studiosissime operatum, illi tantum numeri cunctas animi vires dedicasse. Accersito e pago proximo sacerdote confessionem rite transgit, et impetrata erratorum omnium remissione, acceptaque novissima iustificatione, id defuncti caput repente conticuit perpetuoque quievit. » Hæc Bonfin. dec. III. libro. III.

IV. Docet tandem et natura. Qua de re S. Gregorius, lib. XXI. moral. ait: « Vulnera clausa plus cruciant: nam cum putredo, quæ interius fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. » Adstipulatur Seneca, ep. LVII. scribens: « Omnia vitia in aperto leviora sunt: morbi quoque

ad sanitatem tunc inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt, et avaritiam et ambitionem et cætera vitia mentis humanae tunc periculosa scias esse cum simulata sanitatem subsidunt. » Stomachus adversam sibi escam vomit, sic adversum conscientię peccatum evomendum docet Origenes, Psal. XXXVII. ad illa verba: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Qui talen escam vomit, relevatur, ita qui peccata confitetur. Canis e stomacho laborans ob cibi indigestionem vel indispositionem herbas comedit, ut vomitu provocato, sanitatem recuperet: herba hæc poenitentia nostra est; vomitus confessio, II. Petr. II. ubi ait apost. *Canis reversus ad suum vomitum.* Mare mortuos non patitur, sed ejicit ad littus. Ad hæc omni plenilunio maria purgantur, quædam et stato tempore, aliebū similia expuunt in littus purgamenta, teste Plinio, I. II. c. IV. Atque poenitentia mari comparatur Thren. II. *Magna est velut mare contritio tua.* Ut autem aliunde sciri non poterat submersos esse in mari Aegyptios, nisi quando corpora eorum suffocata ad littus ejecta cernebantur; ita peccata tua in mari poenitentia submersa esse tum demum scias, quando ea per os in confessione expuisti. Quin et in cœlestibus luminibus aliquis confessionis typus cernitur, in luna videlicet, quæ singulis se mensibus instaurat, et quem in solis vicinitate perdidit splendorem, elongatione ejusdem recuperare nittitur. Sol Deus, luna homo est, qui omnia sua a Deo mutuantur: sed quia per peccatum homo se multoties contra Deum erigit, eique superbe appropinquat: splendorem et gratiam perdit, necesse igitur est, ut recedendo a Deo per humilitatem, eadem recuperet: priori modo, stultus ut luna mutatur, Eccl. XXVII. sed posteriori modo sapiens.

V. Accedunt virorum sanctorum testimonia Davidis, Psal. XXXI. *Dixi: Confitebor adversum me in justitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei:* et Psal. L. *Tibi soli peccavi:* et ad Nathan: *Peccavi Domino,* II. Reg. XII. Non dixit: Quid ad te, num peccaverim? Sufficit me confiteri Deo: tu enim homo tantum es.

Ezechias rex, Isai. XXXVIII. *Recogitabo tibi omnes annos meos,* ait, *in amaritudine animæ meæ.*

S. Paulus peccata sua passim in epistolis coram toto orbe confitetur et deplorat.

S. Augustinus confessionem suam libello evulgavit. Job. c. XXXI. ait: *Si abscondi quasi homo peccatum meum.* Sapiens, Proverb. XXVIII. *Qui abscondit sceleram sua, non dirigetur.*

Audivimus legem naturæ, audivimus legem veterem, audivimus legem novam, naturam

quoque et viros sanctos testimonium ferentes de peragenda confessione. Quisquis ergo tot testibus nec credit, nec movetur, aut solus sapit, aut solus non sapit, etc.

CONCIO IV.

SATISFACTIONEM CUR REQUIRAT DEUS.

I. Ne libere nimis peccent homines. — II. Ut per eam radices peccatorum tollantur. — III. Plus requiritur ad reparandum, quam ad parandum. — IV. Exigit justitia. — V. Pœna peccate commensuranda. — VI. Voluntariæ culpæ debetur involuntaaria pœna. — VII. Christo conformandi sumus.

THEMA.

Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses. Matth. VIII.

Mirum quid legitur in Judicium lib. c. XX. Israelitas scilicet, licet consulto et annuente Domino ad pugnam egredenterur contra filios Benjamin, tamen interim victos magna suorum strage iterato abscessisse. Consulebant primo Dominum, num egredi ad bellum deberent, et annuit eis Dominus aitque: *Judas sit dux uester.* Sed egressi ad prælium statim cœsi sunt, et perdidérunt e suis viginti duo millia virorum. Consulunt iterum Dominum, dum denuo præliari deberent: prius tamen ascenderunt et flaverunt coram Domino usque ad noctem, audiuntque a Deo: *Ascendite ad eos, et inite certamen.* Sed iterum devicti sunt: et ex ipsis decem et octo millia virorum cœsa. *Quonabrem* (inquit textus) omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flabant coram Domino, jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta et hostias pacificas, et super statu suo interrogaverunt: ac tum demum audiunt: *Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras.* Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa: et tertia vice sicut semel et bis; et sic ex insidiis hostes debellarunt. Quis hic non miretur? Si enim annuente Domino ad pugnam Israelitæ perrexerunt, cur iterato victi sunt, et tertio primum vicerunt? Respondet glossa moralis ibi: *Non sufficit Judas, id est, confessio; nec sufficerunt lacrymæ cum confessione, quia deficit satisfactio.* Est enim pars integralis poenitentia, quæ si desit, non placatur Deus. Jubet te Deus confiteri peccata tua; sed non ideo statim ea expiabis. Jubet eadem te per contritionem deflere; sed nequid omnino vinces; adhuc reatus pœnae aliquis supererit. Quomodo igitur vincendum? Interroga

tertio Dominum super statu tuo, jejuna et offer hostias, id est, ora, jejuna, da eleemosynam (quæ sunt poenitentia opera) et ita victor eris. Hoc est, quod in hodierno insinuat evangeli. Mittitur ad sacerdotem leprosus ut offerat munus suum, postquam est mundatus: juxta legem Levit. XIV. *Sed vade ostende te sacerdoti, et offer munus tuum,* ait Dominus. *Sed vade,* inquit, q. d. licet sis mundatus, unum tamen adhuc est necessare, ut post dimissum peccatum et mundatum conscientiam, munus satisfactionis offeras. Sæpe fit, ut quis mundetur ante confessionem, scilicet per contritionem, sed tamen restat adhuc confessio, ostende te sacerdoti: sed nec hoc satis; offer munus tuum et satisfac. Jam vero querat aliquis: Si per contritionem et confessionem mundatur conscientia, ad quid necessaria satisfactio? Respondebimus huic quæstiōni.

I. Necessaria est satisfactio, ne liberius homines peccent, si nulla injungeretur. Quemadmodum enim ii, qui certis pharmacis, aut etiam præstigiosis incantamentis vulnera sua mox curare possunt, ut nihil inde patientur, temere cum quoque digladiantur (non digladiatur, si medelæ difficultatem et dolorem sustinere deberent) unde accidit, ut tandem spé sua fraudati facile occidantur; ita etiam fieret, si poenitentie remedium peccatorum vulneribus destinatum, nullum post se doloris sensum traheret. Quis enim peccandi pericula deinceps perhorresceret, et consequenter quot hominum perirent, si tam facile foret in promptu remedium sine impedio? Laborabant ejusmodi vana confidencia in federis arcem Israelitæ, quasi sola ejus præsentia, sine ipsorum opera fundere hostes deberet. Unde I. Reg. IV. cum a Philisthæis devicti essent, reversi de prælio, inquit: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiis?* Afferamus ad nos de Silo arcem federis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra. Sed ecce dum solius arcæ præsidio nixi vociferantur, quasi jam vicissent, nec vires adhibent suas, turpiter vincuntur, cœduntur, et fugantur, et arca, quam deseruerunt, a Philisthæis capitur; contra vero Philisthæi, quia sibi timuerunt, et ingemuuerunt dicentes: *Vx nobis! Quis nos servabit de manu deorum sublimium istorum?* interim seipso ad pugnam animarunt et fortiter pugnaveant, dicentes: *Confortamini et estote viri: confortamini et bellate;* inter spem et timorem constituti eos vicerunt.

Pari modo multi Christianorum, si nulla pro

peccatis satisfactio requireretur, dicturi essent : Quid opus cavere graviora peccata, homicidia, adulteria, rapinas, etc. vocetur confessarius : omnia mea peccata uno statu diluam. At quia nunc reatus pœnæ temporalis restat, in hoc sive in altero sæculo persolvendus, præsumptioni illi via præcluditur.

Confidebat nimium et gloriabatur in robore suo rex Sennacherib, propterea dicit ei Dominus, Isa. XXXVII. *Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas : ponam ergo circulum in naribus tuis.* Bubalorum ferociorum naribus circulus ferreus infigitur eique truncus alligatur oppido ponderosus, (ut memini me vidisse) quem post se bubalus trahat, atque adeo perpetua tractione vexatus ferocire et ferire nequeat. Hoc ipsum sapienter fecit Dominus, dum feroci peccatori circulum pœnitentiae injecit, eique truncum satisfactionis alligavit, trahendum post dimissum peccatum.

II. Necessaria est satisfactio, ut per ejus opera velut per antidota radix peccati funditus evellatur. Nam confessio peccatum quidem delet, sed habitum malum ex peccandi assuetudine contractum non tollit. Hinc S. Chrysostomus, hom. XXX, ad popul. Antioch. ait : « Peccatum quoque crimen perpetrato et transacto, quoddam in anima nostra venenum reponit. Non audis quosdam dicentes : Nondum aquam audeo bibere? Atqui convaluit quidem, sed morbus hoc intulit ei detrimentum. » Hæc ille. Quare ut post morbum remanent ejus reliquæ et prævæ in membris dispositiones, quæ nisi contrariis evacuentur medicamentis, ægritudinem facile revocant; ita in peccatore remanent habitus multis generati actibus, quos nisi suis correxeris antidotis, facile ad pristina te peccata trahent.

« Propterea cœlestis medicus, inquit S. Gregorius, hom. XXXII. in evang. singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præcipiter humilitatem. » Hæc ille. Id quod observare solent etiam confessarii in pœnitentia injungendis. Hoc insinuavit Dominus, cum post lotionem discipulorum, Joan. XIII. pedes eorum linteo extersit, teste Gerson, serm. in œna Domini : *Linteo, inquit, ex tribus confecto filis, oratione, jejunio, eleemosyna.* Nam qui pedes lavit, nisi cosdem sedulo extergat, statim iterum inquinat, quia aqua pedi adhærens, pulveri commixta illico lutum efficit; simili ratione, si affectui peccatoris adhæreat peccati radix,

amor, desiderium, inclinatio, etc. ubi pulverem admoveris, pristina peccati objecta, protinus lutum contrahes. Hoc fructu videtur extersisse Davidi pedes Deus, cum remisso adulterio filium inde natum morti addixit. Quid enim referebat mori filium, nisi quia tenere nimis amabat illum, cuius ex amore ad alia flagitia forte accendi poterat? II. Reg. X. Itaque ne miremini, si ebris jejuniū, avaris eleemosyna, libidinosis mortifications injungantur, quia morbis remedia convenire debent.

III. Quia longe plus requiritur ad hominem lapsum reparandum, quam ad creandum. Nullo labore creavit Deus hominem perfectum : sed quanta exantlavit ut perditum repararet? Brevis tempore, annis scilicet septem ut habetur, III. Regum VI. et sine armis extructum primo fuit Salomonis templum : sed postquam id semel peccatis Judeorum exigentibus destructum fuit, quadraginta sex anni ad ejus reparationem opus erant, ut habetur Joan. II. sed et manu armata reparandum erat, structoribus una manu ædificantibus, et altera tenentibus gladium, II. Esd. IV. « Similis est ædificatio spiritualis, ait ib. Beda, quæ in animarum salute geritur. In baptismō enim renati sine labore per gratiam Dei civitas et domus ejus efficimur. Si autem post diabolo suadente vel reducente ad peccata relabimur et virtutum mœnia hostis victus igne viatorum dejicit, necesse est graviori studio afflictionis vigiliarum et arctioris vita bonorum operum ædificia reparare. Nam expertis vitiorum illecebris difficilis caremus, quam incognitis, minorisque laboris est incognitam cavere carnis voluptatem, quam rejicere incognitam. » Hæc Beda.

Equis quem ad aliquod hospitium nunquam divertisti, facile id pertransit : quod si vel semel diverteris, quotiescumque illac iter agis, divertere ibidem volet, nec nisi admotis calcaribus et virgarum ietibus cohiberi ab ingressu poterit. Non eget pœnitentie calcaribus, qui ad dæmonis tabernas nondum divertit; eget vero multo maxime qui vel semel divertit; quomodo enim inde carnem tuam fallacem scilicet equum, avertas, nisi seria afflictione latera ejus tundas? Talis erat illa, quæ Osee II. dixit : *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum.* Sed quid respondet Dominus? Propter hoc, ait, *ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam macearia, et semitas suas non inveniet.*

IV. Ut processus judicialis observetur. Cum enim sacramentum pœnitentiae per sententiam judicis in quodam velut conscientiarum tribu-

nali administretur, nulla vero æquitas patiatur, ut qui susceptam Christi gratiam iracie abjectit et conculcavit, iterum eam per sententiam judicis absque ulla punitione recuperet, merito annexam habet satisfaciendi obligationem, ne justitiae vis inferatur. Propterea ad Hebr. XII. dicitur : *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ubi pulchre distinguunt modus tractandi filium adhærentem, et fugitivum. Illum enim castigat pater, id est, verbis tantum reprehendit (hoc enim est propriæ castigare) juxta id Apoc. III. *Ego quos amo, arguo et castigo:* ex mera dilectione in filii bonum. Hic vero severiori disciplina subjicitur, et flagris tractatur, si redierit ad patrem: quia si arguitur et increpat, qui patri adhæret, æquissimum est ut flagelletur, qui patrem deseruit. Propterea David fugitivum filium Absalonem, licet placatus revocari jussisset in Jerusalem, in conspectum tamen suum per biennium non admisit, II. Reg. XXIV. Id quod maximo pœnæ loco habuit Absalon et optabat magis interfici, quam privari diutius patris sui aspectu. Quoniam igitur res indigna est, si ex optimi patris gremio fugiat ad hostem filius, ideo justa est indignatio patris, qua filium redeuntem corripit.

V. Quia cum in peccato duo sint, aversio a Deo tamquam ab ultimo fine, et conversio ad creaturam, quæ perverse Deo anteponitur; idcirco præter pœnam damni aversioni respondentem, decreta fuit etiam peccatori pœna sensus, quæ conversioni respondet. Audi Jeremiam, cap. II. in persona Dei loquentem : *Duo mala, inquit, fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Subjungit vero paulo post : *Arguet te malitia tua et aversio tua increparabit te,* id est, pœna sensus et poena damni, ut insinuat ibi Hugo cardin. Vide quomodo duplice malitiae duplex respondeat pœna. Sed cum secundum Augustinum, ut advertit ibidem Hugo cardinalis, peccare nihil aliud sit, quam spreto incommutabili bono commutabili adhærente: quomodo duo sunt mala, aversio a Deo et conversio ad creaturam, et non potius unum tantum? Certe si quis servus ab herbo suo legitimo fugiat ad alterum, non videtur nisi unum committere peccatum. Ita sane est: sed quid si a maximo et benignissimo domino fugiat ad abjectissimum et crudelissimum? Nonne conduplicat culpam, dum herum legitimum preter jus fasque deserit, et præterea tyranno vilissimo postponit? Hoc agit quis peccator dum spreto incommutabili bono, vilissimæ et durissimæ adhæret creaturæ; propterea enim dicitur : *Me de-*

reliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, q. d. me summum bonum deseruerunt, et adhæserunt idolis, quæ cum nil sint, nullum eis auxilium, sed turbidam tantum fetidamque turpidinis aquam propinare possunt. *Quæ conventio Christi ad Belial?* inquit Paulus, II. Corinth. VI. quæ conventio fontis aquæ vivæ ad cisternam dissipatam? Quare ut servus ille transfuga, qui a patrono ad tyrannum fugit, non tantum mereatur perdere patronum; sed præterea insigniter affligi a tyranno, ut sic experietur non modo quem deseruerit, sed etiam quem elegerit. Ita etiam : « Par est ut malitia et prævaricatio, quemadmodum inquit Hieronymus a glossa citatus ibid. postquam prævaricantem satiaverunt, et instar coturnicū usque ad nausem devenerunt, erudiant agentem pœnitentiam, cui imperatur, ut videat quid reliquerit et quid secutus sit, quomodo spernens bona et dulcia, mala elegerit et amara. » Exemplo nobis est communis parens noster, cui Dominus absolutionem impertiens dixit : *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua, spinas et tribulos germinabit tibi, etc.* q. d. quia sprevisti verbum meum et prætulisti ei fructum terræ, experieris eam, colendo et operando, utilium rerum sterilem, inutilium vero et noxiarum feracem, neenon laboriosam, etc. Si dimisit peccatum Adæ Deus, cur non dimisit etiam hanc pœnam? Cur non reliquit eum in paradiſo, nisi quia justum erat, ut gustaret fructus arboris sue, quam Deo præposuerat? Jure igitur quilibet, etiam cum resipiscit, acerbos peccati fructus (pœnitentia satisfactionem) comedit, quos ipse sibi elegit. Idem videtur est in Davide, eujus filium parvulum Deus necuit in pœnam adulterii, ex quo genuerat eum David: ut ita in morte filii gustaret pater fructum sue libidinis, prostratus in terram lacrymans et jejunans. Hinc ad eum resipiscentem non dixit Nathan : Dominus remisit; sed : *Transtulit peccatum tuum,* q. d. transtulit ab æterna morte tua in temporalem mortem filii tui; mutavit tibi scorpiones in flagellum, fel draconis in absynthium, ut saltem hinc degustes fructum peccati tui, II. Reg. XII.

VI. Ut sic voluntarium peccatum, involuntaria pœna redimatur, ut ait Gerson. in reg. de pœnitentia. Nam proposito hinc bono honesto, inde vero delectabili, licet hominis intellectus ad bonum honestum propendeat et eligendum esse dicit, relicto delectabili ut noxio; peccatrix tamen voluntas mera quasi petulantia et libidine, relicto meliori, utpote honesto, eligit minus bo-